

te est, eritque semper, ac nostræ gloriæ conducibile, Venetas opes ex omni Europa hoc tempore creditas, quæ universæ fere Asiæ tuto opponerentur. Extremus oriens Venetam sentiet virtutem: loquetur Aethiopia: Europa quidem ipsa mirabitur: in ore omnium, vestrum erit nomen: vestra omnis belli hujus gloria: vestrum decus. Possunt quidem alienis potius quam nostris auspiciis, quæ in Asia gessimus, gesta videri: quæ posthac gesserimus, non poterunt: obstetit non parum nobis aliena gloria, quæ suo fulgore quasi tenebras nostris rebus induxit: deinceps non obstabit. Illorum labor ac periculum in frangendis hostium viribus: noster honos, nostra laus, illas fractas coercuisse. Præterea non ambigo, vos omnes & velle & optare, hujus urbis imperium vel quam longissime quandoque propagatum iri. Qua via, qua ratione creditis id futurum? Sedendo ne? aut proxima hæc stagna lintribus frequentando? Fallitur si quis hoc credit. Veteres Romani, a quibus vos oriundos esse gloriari soletis, quorum etiam æmuli & videri & esse vultis, non orbis Imperium desidia, non ocio, sibi quæserere; sed bellis bella serendo: bello illi frænum omnibus gentibus injecerunt: bello supra quam dici possit, eorum opes crevere. Accedit ad hoc, quod maxime optandum fuit, ut in eos moliamur arma, quos non solum fas sit perdere, sed pium etiam, ac pene divinum. Tribuerunt præterea illi nobis quibus opem ferimus, tribuentque partem omnium urbium locorumque ex hoste receptorum non parvam. Sed videbitur fortassis hoc nonnullis exiguum, & nullo modo dignum, propter quod rem tantam movere debeamus. Sunt, fateor, ea specie parva: sed futura spectantibus certa ampliandi toto oriente imperii fundamenta; sæpe enim ex parvis initiis incredibilia rerum momenta oriri solent. Quod si vos non gloria, non præmia, non commune & vetus nostræ civitatis in Christianum nomen studium movet: id certe movere debet, quod eam terram ab impiorum injuria vindicaturi sumus, in qua olim ad tribunal illius immensi Judicis constituti, quasi prætoriani milites neque Regi neque aliis ignoti, perspicui astabimus, piæ militiæ pia præmia